

insolens haec loquendi ratio est, ut nullum illius exemplum in medium proferri possit. Nullum, fateor, in ipso sacro codice occurrit. Sed quid tum? Num nostra propterea reiicienda statim est explicatio? Quot aliorum locorum explanationes, quae doctissimis viris tamen probantur, reiiciendae essent? Non insolitum Germanis nostris est, de marito, illicitis amoribus illaqueato, et variorum adulteriorum suspecto, dicere: Der Mann hat viele Frauens; vti contra maritus, castitatem et pudicitiam suam testaturus, dicere solet: Ich kenne, oder habe, nur eine Frau. Similes loquendi formulas, latinis scriptoribus usitatas, non infrequens, eaque attenta illorum lectio docebit. MARTIALIS lib. X. epigr. 35. haec habet:

Omnes Sulpiciam legant puellae,
 Vni qui cupiunt viro placere:
 Omnes Sulpiciam legant mariti,
 Vni qui cupiunt placere nuptae.

Ecquis negauerit, vni viro, vel, vni nuptae placere cupere, nihil esse aliud, nisi verum firmumque animi propositum, ea ratione viuendi, ut fides matrimonii facta et incolumis conseruetur? Lasciuae indolis homines pluribus, si foeminae sunt, maritis, si mariti, foeminis placere cupiunt. Graece haec MARTIALIS verba ita reddi possent. Sulpiciam legant, ὅσοι εἶναι θελοῦσι καὶ μίας γυναῖκος ἀνδρες, καὶ ἐνός ἀνδρός γυναῖκες
 IUVENALIS Sat. VI. v. 53. et 54. ita canit:

Vnus Iberinae vix sufficit, ocyus illud
 extorquebis, ut haec oculo contenta fit vno.

Ad quae verba FARNABIUS in editione SCREVELIANA Lugd. Bat. 1654. 8. ita commentatur: *Scoptice haec dicit. Fuit autem haud dubie Iberine illa, quam ducere voluit Vrsidius. Quasi dicat: Nimi-*

En of sy selfs niet meer sulks oefend openbahr,
 Sy is een hoor in't hert, en ook een koppelaar.